



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 2. An in dubio de valore matrimonii ferenda sit à Judice sententia potiùs  
pro valore, quàm pro libertate sponsorum, ídque procedat etiam in foro  
conscientiæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

tas mediorem; atqui in eo casu compulsio non expediret fini matrimonii, sed potius impediretur, & perturbaretur hic finis, qui est mutuum conjugum obsequium, & vita socialis: Tum quia Judex denegando tunc coactionem favet ipsi auctori, cum ipsius grave damnum sic impediat, sicut si Judex petenti proprium gladium ad se occidendum illum denegaret: Tum denique quia expedit, ut Ecclesia minus damnum permittat, ut majus evitet, cujusmodi sunt scandala, & perpetuæ inimicitiae, respectu fidei sponsalium non servatae.

Et hæc ultima sententia magis utique placet, utpote & à ratione, & ab auctoritate potior, ac probabilior, præsertim cum hæc conciliet duos textus cit. in speciem contrarios, scilicet *cap. ex litteris*, quod innuit esse cogendum, intellige, nisi rationabilis causa obstiterit. Et *cap. requisivit*, quod affirmat, non esse cogendum, intellige, quando rationabilis causa obstiterit. Notat tamen hic Sanch. l. c. vi cit. *C. requisivit*, debere Judicem prudenter procedere absque strictissima coactione, ne consensus ad matrimonium requisitus deficiat: quare si sponsum ita obstinatum esse videat, ut libere matrimonio consentire repu-

gnet, monitione potius, quam exactissima coactione utatur juxta verba cit. *C. monenda est potius, quam cogenda &c.*

Ad 2. Q. R. in dubio de matrimonii valore, sententia à Judice potius ferenda est pro valore matrimonii, quam pro ejus invaliditate, & sponsorum libertate; ideoque etiam singularis opinio unius Doctoris, si verè probabili ratione nitatur, præferri debet sententiæ plurium valorem oppugnantium, nisi textui aperto iniantur. Ita Sanch. l. 1. D. 18. n. 5. & 7. Delben. c. 8. d. 20. S. 1. à n. 16. Jo. And. c. ex parte de spons. n. 3. Host. ibi Menoch. de præf. l. 3. præf. 3. num. 6. Gob. in Quin. tr. 1. n. 195. Sperell. Ang. de Nevo, Henr. alique. Ratio est; quia matrimonium est causa favorabilis, pro qua standum est, ut constat ex *cap. ex litteris de probat.* ubi deciditur, existentibus probationibus paribus Judicem absolvere debere reum præterquam in liberali causa, seu juxta Gloss. *Verb. in liberali*, in matrimonio. Et *C. fin. de sent. & re judic.* statuitur, duobus Judicibus Ordinariis diversas sententias proferentibus, præferri sententiam in favorem rei, nisi in causa favorabili matrimonii. Et universim, *actus in dubio debet interpretari validus*, L. *quoties de rebus dubiis*; quia præsumitur pro validitate actus, donec de invaliditate constiterit.

Id,

Id, quod procedit etiam in foro interno, ut notat cum aliis cirt. Sanch. quia inter utrumque favorem non est discrimen; quod enim in foro conscientiae non est matrimonium, neque est in foro externo, & è contra; Ecclesia enim non potest facere, ut sit matrimonium, quod invalidum est, sed in modo duntaxat cognoscendi versatur differentia, eò quòd in foro interno stetur confessioni propriae; in externo autem allegatis, & probatis; cum ergò Judex in foro externo, non ex falsa praesumptione, sed ex cognita veritate dubii valoris pro matrimonio pronuntiare debeat; idem erit sentiendum de foro interno; praesertim cum utrumque forum judicet idem, ubi externum non nititur falsa praesumptione, ut probat Sanch. *D. 5. n. 20.* Quòd si verò dubium duntaxat sit, an per verba significantur sponsalia, an matrimonium, si omnia sint adhuc integra, standum esse pro libertate, & dicendo, esse sponsalia, censet La Croix *l. 6. p. 3. n. 123.* & Gobat. *n. 86.* Pari modo qui dubitat, an promiserit, non tenetur juxta communem, quia libertas est in possessione. Quod idem putat Spor. *n. 139.* pro casu, quo quis scit se promississe, sed nescit, an seriò, an fictè, eò, quòd nondum certum sit promissionem obligatoriam possedisse; Verùm contrarium meliùs, ac probabilius asserit Sanch. *l. 1. D. 9. n. 13.* cum aliis docentibus, eum tunc teneri;

R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

quia verba promissoria sunt in possessione, cum quibus praesumi debet fuisse animum se obligandi, pro ut verba sonant, cum unusquisque praesumatur loqui secundum mentem, & verborum tenorem.

Ad 3. Q. R. quando verba sonant de futuro, sed significant de praesenti ratione adjuncti, quando scilicet junguntur particulae illae adjunctae verbis importantibus executionem, v. g. ex nunc, semper, deinceps, ab hoc tempore, habebò te in uxorem, tractabo te, sicut uxorem &c. matrimonium per illa constitui, constat tum ex *C. ex parte de spons.* ubi id deciditur; tum ex *cap. si quis divinis 30. q. 5.* quia tunc illa verba re vera important consensum de praesenti, si enim ex nunc, ac deinceps, seu semper est habenda foemina in uxorem; ergo modò est uxor. An autem, quando verbis futuri temporis importantibus executionem nulla additur particula faciens significare de praesenti, v. g. habebò te, aut tractabo te, ut uxorem &c. matrimonium constituent, an verò sponsalia, controversum est inter DD. Ubi multi cum Gloss. *C. S. 1. quis divinis cirt. verb. Habiturum, Menoch. de praesumpt. l. 3. praes. 3.* Praepos. *n. 6.* Host. *sum. tit. de matr. §. qualiter contrahatur.* Rosell. Ang. censent satis probabiliter matrimonium esse, tum quia haec verba significant executionem actus con-

N n n sum-